

No. 264. 1463. 25. Aug.

*B. Johannes von Merseburg bestätigt die Stiftung des Salve regina in der Nicolaikirche und ertheilt denen, welche der Absingung beiwohnen und nachher angegebene Gebete andächtig sprechen werden, Ablass.*

Johannes dei et apostolicae sedis gratia episcopus ecclesiae Merseburgensis universis et singulis Christi fidelibus praesens scriptum visuris et auditoris salutem in domino sempiternam. Praesulatus humeris nostris etc. Hinc est quod — nobis pro parte honorabilium dominorum Johannis Coci vicarii ecclesiae Misnensis et Conradi Borgerstorf capellani in Swinicz oriundi de Zeicz Nuwinburgensis diocesis extitit expositum, qualiter ipsi speciali pietate et devotione permoti — ad decantandum illam laudabilem antiphonam ‚Salve regina‘ cum certis antiphonis subscriptis perpetuis temporibus in ecclesia sancti Nicolai opidi Lipczensis nostrae diocesis instaurari fundari et dotari proposuerunt cum tribus sexagenis novorum latorum grossorum annui census in opido Oschacz Misnensis diocesis apud proconsules et consules et insuper omnibus censibus redditibus in bonis antedictum opidum quomodolibet concernentibus per ipsos praefatos dominos Johannem et Conradum fundatores iusto emptionis titulo pro centum florenis Vngaricalibus in auro comparatis, prout in eisdem litteris originalibus desuper confectis plenius adparet in hunc videlicet modum qui sequitur. Primo quod tempore aestivali hora septima, hiemali hora quinta seu in medio quartae et quintae horarum, autumpnali vero et vernali temporibus hora sexta post coenam et non statim post vespervas ‚Salve regina‘ cum subscriptis antiphonis decantetur, in singulis diebus dominicis post ‚Salve regina‘ ista antiphona ‚Haec est dies‘ de annunciatione virginis gloriosissimae Mariae et subiungatur nec ex aliquo motivo quocunque festo adveniente omittatur, poterit tamen si placuerit antiphona de tempore videlicet ‚Regina coeli‘ vel alia subiungi, quod canentium relinquitur voluntati. Item elapsis festivitibus penthecostes singulis feriarum videlicet 2<sup>ae</sup> 3<sup>ae</sup> 4<sup>ae</sup> 5<sup>ae</sup> 6<sup>ae</sup> et sabathi diebus specialis post ‚Salve regina‘ cantetur antiphona, videlicet feria secunda ‚O florens rosa‘, feria tertia ‚Ista est speciosa‘, feria quarta ‚Anima mea‘, feria quinta ‚Tota pulchra‘ vel ‚Discubuit Jhesus‘ ob reverentiam dominicae coenae, feria sexta ‚Alma redemptoris‘, sabbatho ‚Sancta Maria succurre miseris.‘ Item in singulis diebus anni in quibus cantari solet antiphona ‚Da pacem domine‘ trina vice pro conclusione canatur et tempore medio campana maior ecclesiae beati Nicolai ter tangatur pro salutatione virginis gloriosissimae Mariae. Item praenominati domini fundatores aliarum devotiones personarum in praefata laude gloriosae Mariae virginis habituras nullatenus impedire volentes cantandas in praefatis feriis antiphonas aliter limitarunt; quod si aliqua devota persona pro laude gloriosissimae Mariae virginis disposuerit canendum responsorium vel aliam devotam antiphonam, ex tunc antiphona de feria canenda obmitti vel cantari potest canentium ad voluntatem, antiphona tamen ‚Haec est dies‘ suo die inmutata ut supra notatum est. Item census praenotati in hunc distribuantur modum. Primo venerabili